

bant, de quibus ait, « Ignorantes Dei justitiam, » id est, quæ est ex Deo, (hanc enim dat non littera occidens, sed vivificans spiritus;) « Et suam volentes constituere, » quam dixit ipse ex lege justitiam, cum diceret, « Non » habens meam justitiam quæ ex lege est: justitiæ Dei non » sunt subjecti, » hoc est, gratiæ Dei non sunt subjecti. Sub lege enim erant, non sub gratia; et ideo eis dominabatur peccatum, a quo non fit homo liber lege, sed gratia. Propter quod alibi dicit, « Peccatum enim vobis » non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratia<sup>1</sup>: » non quia lex mala est; sed quia sub illa sunt quos reos facit jubendo, non adjuvando. Gratia quippe adjuvat ut legis quisque sit factor, sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor. Talibus itaque dicit, « Qui in lege justificamini, a gratia excidistis<sup>2</sup>. »

XXV. Quis ita sit surdus adversus apostolicas voces, quis ita desipiat, imo insaniat nesciens quid loquatur, ut audeat dicere, legem esse gratiam, cum clamet qui sciebat quid loqueretur, « Qui in lege justificamini, a gratia excidistis? » Si autem lex non est gratia, quia ut ipsa lex fiat, non potest lex adjuvare, sed gratia; numquid natura erit gratia? Nam et hoc Pelagiani ausi sunt dicere, gratiam esse naturam, in qua sic creati sumus, ut habeamus mentem rationalem, quia intelligere valeamus, facti ad imaginem Dei, ut dominemur piscibus maris, et volucris cœli, et omnibus pecoribus quæ repunt super terram. Sed non hæc est gratia, quam commendat Apostolus per fidem Jesu Christi. Hanc enim naturam etiam cum impiis et infidelibus certum est nobis esse communem: gratia vero per fidem Jesu Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides. « Non enim omnium

<sup>1</sup> Rom. vi, 14. — <sup>2</sup> Galat. v, 4.

» est fides<sup>1</sup>. » Denique sicut eis qui volentes in lege justificari, a gratia exciderunt, verissime dicit, « Si ex lege » justitia, ergo Christus gratis mortuus est<sup>2</sup>: » sic et his qui gratiam quam commendat et percipit fides Christi, putant esse naturam, verissime dicitur, Si ex natura justitia, ergo Christus gratis mortuus est. » Jam hic enim erat lex, et non justificabat; jam hic erat et natura, et non justificabat; ideo Christus non gratis mortuus est, ut et lex per illum impleretur, qui dixit, « Non veni solvere legem, sed implere<sup>3</sup>: » et natura per Adam perditam, per illum repararetur, qui dixit venisse se quærere et salvare quod perierat<sup>4</sup>; » in quem venturum antiqui etiam patres crediderant, qui diligebant Deum.

XXVI. Dicunt etiam gratiam Dei, quæ data est per fidem Jesu Christi, quæ neque lex est neque natura, ad hoc tantum valere, ut peccata præterita dimittantur, non ut futura vitentur, vel repugnantia superentur. Sed si hoc verum esset, utique Oratione dominica cum dixissemus, « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; » non adderemus, « Et ne nos » inferas in tentationem<sup>5</sup>. » Illud enim dicimus ut peccata dimittantur; hoc autem ut caveantur, sive vincantur; quod a Patre qui in cœlis est, nulla ratione peteremus, si virtute voluntatis humanæ hoc possemus efficere. Commoneo autem charitatem vestram, et multum exhortor, ut beati Cypriani librum quem scripsit de Oratione dominica, diligenter legatis; et quantum vos Dominus adjuverit, intelligatis, memoriæque mandetis. Ibi videbitis quemadmodum sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis ædificat, ut ostendat tamen ea quæ implenda jubentur in lege, in ora-

<sup>1</sup> 2 Thess. iii, 2. — <sup>2</sup> Galat. ii, 21. — <sup>3</sup> Matth. v, 17. — <sup>4</sup> Matth. xviii, 11. et Luc. xix, 10. — <sup>5</sup> Matth. vi, 12.



tione esse poscenda. Quod utique vanissime fieret, si ad illa agenda sine divino adjutorio voluntas humana sufficeret.

XXVII. Sed cum fuerint convicti, non defensores, sed inflatores et præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Jesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur: cum ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quocumque modo conentur ostendere gratiam Dei secundum merita nostra dari. Dicunt enim, « Etsi non datur secundum merita bonorum operum, quia per ipsam bene operamur; tamen secundum merita bonæ voluntatis datur: quia bona voluntas, inquit, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundum hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei.

XXVIII. Jam quidem de fide, hoc est, de voluntate credentis superius disputavi, usque adeo eam demonstrans ad gratiam pertinere, ut Apostolus non diceret, Misericordiam consecutus sum, quia fidelis eram; sed diceret, « Misericordiam consecutus sum, ut fidelis essem<sup>1</sup>. » Sunt et alia testimonia, in quibus est quod ait, « Sapite ad temperantiam, sicut unicuique Deus partitus est mensuram fidei<sup>2</sup>. » Et quod jam commemoravi: « Gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex vobis, sed Dei donum est<sup>3</sup>. » Et illud quod scripsit ad Ephesios, « Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo<sup>4</sup>. » Et illud, ubi ait, « Quia vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo<sup>5</sup>. » Utrumque ergo ad Dei

<sup>1</sup> 1 Cor. vii, 25. — <sup>2</sup> Rom. xii, 3. — <sup>3</sup> Ephes. ii, 8. — <sup>4</sup> Id. vi, 23. — <sup>5</sup> Philip. i, 29.

gratiam pertinet, et fides credentium, et tolerantia patientium, quia utrumque dixit esse donatum. Et illud maxime ubi dicit, « Habentes autem eundem spiritum fidei<sup>1</sup>. » Non enim ait, scientiam fidei, sed, « Spiritum fidei: » quod propterea dixit, ut intelligeremus, quia fides et non petita conceditur, ut ei petenti alia concedatur, « Quomodo enim invocabunt, inquit, in quem non crediderunt<sup>2</sup>? » Ergo spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere quæ jubemur. Ideo ipse Apostolus assidue legi præponit fidem: quoniam quod lex jubet, facere non valeamus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.

XXIX. Nam si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur a Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi rectissime crederemus, etiam perversas et fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere. Liberum quidem hominis arbitrium pulsatur, ubi dicitur, « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra<sup>3</sup>. » Sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per Prophetam, « Auferam ab eis cor lapideum, et dabo eis cor carnem<sup>4</sup>. » Quod de Novo Testamento fuisse prædictum, satis Apostolus ostendit, ubi ait, « Epistola nostra vos estis, scripta non atramento, sed spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus<sup>5</sup>. » Quod non ideo dictum putemus, ut carnaliter vivant qui debent spiritualiter vivere: sed, quia lapis sine sensu est, cui comparatum est cor durum, cui nisi carni sentienti cor intelligens debuit comparari? Sic enim hoc dicitur per Ezechielem

<sup>1</sup> 2 Cor. iv, 13. — <sup>2</sup> Rom. x, 14. — <sup>3</sup> Psal. xciv, 8. — <sup>4</sup> Ezech. xi, 19. — <sup>5</sup> 2 Cor. iii, 2.



prophetam : « Et dabo eis, inquit, cor aliud, et spiritum » novum dabo eis, et vellam cor lapideum de carne eorum, » et dabo eis cor carneum, ut in præceptis meis ambulent, et justificationes meas observent, et faciant eas : » et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, dicit » Dominus<sup>1</sup>. Numquid ego possumus nisi absurdissime dicere, bonum meritum bonæ voluntatis in homine præcessisse, ut evelleretur ab eo cor lapideum : quandoquidem ipsum cor lapideum non significat nisi durissimam voluntatem et adversus Deum omnino inflexibilem ? Ubi enim præcedit bona voluntas, jam non est utique cor lapideum.

XXX. Nam et alio loco per eundem Prophetam Deus manifestissime ostendit, non propter eorum aliqua bona merita, sed propter nomen suum ista facere, ubi ait, « Ego facio, domus Israël, sed propter nomen meum » sanctum quod profanastis in gentibus, quo intrastis » illuc : et sanctificabo nomen meum magnum quod profanatum est in gentibus, quod profanastis in medio eorum : et scient gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis ante » oculos eorum : et accipiam vos de gentibus, et congregabo vos ex omnibus terris, et inducam vos in terram » vestram, et aspergam vos aqua munda, et mundabimini » ab omnibus impunditiis vestris, et ab omnibus idolis » vestris, et mundabo vos : et dabo vobis cor novum, » et spiritum novum dabo in vobis : et auferetur cor » lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, » et spiritum meum dabo in vobis : et faciam ut in justificationibus meis ambuletis, et judicia mea observetis » et facietis<sup>2</sup>. » Quis ita sit cæcus, ut non videat ; quis ita lapideus, ut non sentiat, istam gratiam non secundum

<sup>1</sup> Ezech. xi, 19. — <sup>2</sup> Id. xxxvi, 22, et seqq.

merita bonæ voluntatis dari, Domino dicente atque testante, « Ego facio, domus Israël, sed propter nomen » meum sanctum ? » Quare enim dixit, « Ego facio, sed » propter nomen meum sanctum : » nisi ne illi putarent propter bona merita sua fieri, quod non erubescunt dicere Pelagiani ? Non solum autem bona merita eorum nulla, verumetiam mala merita præcessisse demonstrat, dicendo, « Sed propter nomen meum sanctum, quod » profanastis in gentibus. » Quis non videat horrendum malum esse, nomen sanctum Domini profanare ? Et tamen propter ipsum nomen meum, inquit, quod profanastis vos, ego faciam vos bonos, non propter vos : « Et » sanctificabo, inquit, nomen meum magnum, quod profanatum est in gentibus, quod profanastis in medio eorum. » Sanctificare se dicit nomen suum, quod superius dixerat sanctum. Hoc est ergo quod oramus in Oratione dominica, dicentes, « Sanctificetur nomen tuum<sup>1</sup> : » ut sanctificetur in hominibus, quod per se ipsum sine dubio semper est sanctum. Denique sequitur : « Et scient » omnes gentes quia ego sum Dominus, dicit Adonai Dominus, cum sanctificatus fuero in vobis. » Cum ergo ipse semper sit sanctus, sanctificatur tamen in eis quibus largitur gratiam suam, auferendo ab eis cor lapideum, per quod nomen Domini profanaverunt.

XXXI. Ne autem putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideo in Psalmo dicitur, « Nolite obdurare corda vestra<sup>2</sup>. » Et per ipsum Ezechielem, « Projicite a vobis omnes impietates vestras, » quas impie egistis in me, et facite vobis cor novum et » spiritum novum, et facite omnia mandata mea. Ut quid » moriemini, domus Israël, dicit Dominus ; quia nolo » mortem morientis, dicit Adonai Dominus, et converti-

<sup>1</sup> Matth. vi, 9. — <sup>2</sup> Psal. xciv, 8.



» mini et vivetis ? » Meminerimus eum dicere, « Et con-  
 » vertimini et vivetis : » cui dicitur, « Convertite nos, Deus<sup>1</sup>. »  
 Meminerimus eum dicere, « Projicite a vobis omnes im-  
 » pietates vestras<sup>2</sup> : » cum ipse justificet impium<sup>3</sup>. Memine-  
 rimus ipsum dicere, « Facite vobis cor novum et spiri-  
 » tum novum : » qui dicit, « Dabo vobis cor novum et  
 » spiritum novum dabo in vobis<sup>4</sup>. » Quomodo ergo qui  
 dicit, « Facite vobis ; » hoc dicit, « Dabo vobis ? » Quare  
 jubet, si ipse daturus est ? Quare dat, si homo facturus  
 est ; nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat ut faciat cui  
 jubet ? Semper est autem in nobis voluntas libera ; sed  
 non semper est bona. Aut enim a justitia libera est,  
 quando servit peccato, et tunc est mala : aut a peccato  
 libera est, quando servit justitiæ, et tunc est bona. Gra-  
 tia vero Dei semper est bona, et per hanc fit ut sit homo  
 bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per  
 hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœ-  
 pit, augeatur, et tam magna fiat, ut possit implere divina  
 mandata quæ voluerit, cum valde perfecteque voluerit.  
 Ad hoc enim valet quod Scriptum est, « Si volueris,  
 » conservabis mandata<sup>5</sup> : » ut homo qui voluerit et non  
 potuerit, nondum se plene velle cognoscat, et oret ut  
 habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda  
 mandata. Si quippe adjuvatur, ut faciat quod jubetur.  
 Tunc enim utile est velle, cum possumus ; et tunc utile  
 est posse, cum volumus : nam quid prodest, si quod non  
 possumus volumus, aut quod possumus nolumus ?

XXXII. Magnum aliquid Pelagiani se scire putant,  
 quando dicunt, « Non juberet Deus, quod sciret non  
 posse ab homine fieri. » Quis hoc nesciat ? Sed ideo jubet  
 aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo

<sup>1</sup> Ezech. xviii, 31. — <sup>2</sup> Psal. lxxix, 4, vel Psal. lxxxiv, 5. — <sup>3</sup> Rom. iv, 5.  
 — <sup>4</sup> Ezech. xxxvi, 26. — <sup>5</sup> Eccli. xv, juxta lxx.

petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando im-  
 petrat quod lex imperat. Denique ipse qui dixit, « Si vo-  
 » lueris, conservabis mandata : » in eodem libro Eccle-  
 siastico aliquanto post dicit, « Quis dabit in ore meo  
 » custodiam, et super labia mea signaculum astutum, ne  
 » forte cadam ab eo, et lingua mea perdat me<sup>1</sup> ? » Jam  
 certe mandata acceperat : « Cohibe linguam tuam a malo,  
 » et labia tua ne loquantur dolum<sup>2</sup>. » Cum ergo verum sit  
 quod dixit, « Si volueris, conservabis mandata : » quare  
 quærit in ore suo dari custodiam ; similis ei qui dicit in  
 Psalmo, « Pone, Domine, custodiam ori meo<sup>3</sup> ? » Quare  
 non ei sufficit mandatum Dei et voluntas sua ; quando-  
 quidem si voluerit, conservabit mandata ? Quam multa  
 Dei mandata sunt contra superbiam : jam novit ea ; si  
 voluerit, conservabit ea. Quare ergo paulo post dicit,  
 « Domine Pater et Deus vitæ meæ elationem oculorum ne  
 » dederis mihi<sup>4</sup> ? » Jam dixerat ei lex, « Non concupisces<sup>5</sup> : »  
 velit ergo et faciat quod jubetur ; quoniam si voluerit,  
 conservabit mandata. Quare sequitur et dicit, « Concu-  
 » piscentiam averte a me ? » Contra luxuriam Deus quam  
 multa mandavit : faciat ea ; quia si voluerit conservabit  
 mandata. Quid est quod clamat ad Deum, « Ventris appe-  
 » titio et concubitus ne apprehendat me<sup>6</sup> ? » Si hæc ei præ-  
 senti diceremus, rectissime nobis responderet et diceret,  
 Ex ista oratione mea, qua hæc a Deo peto, intelligite  
 quomodo dixerim, « Si volueris, conservabis mandata. »  
 Certum et enim nos mandata servare, si volumus : sed  
 quia præparatur voluntas a Domino<sup>7</sup>, ab illo petendum  
 est ut tantum velimus, quantum sufficit ut volendo fa-  
 ciamus. Certum est nos velle, cum volumus : sed ille facit  
 ut velimus bonum, de quo dictum est, quod paulo ante

<sup>1</sup> Eccli. xxii, 33. — <sup>2</sup> Psal. xxxiii, 14. — <sup>3</sup> Id. cxl, 3. — <sup>4</sup> Eccli.  
 xxiii, 4, 5. — <sup>5</sup> Exod. xx, 17. — <sup>6</sup> Eccli. xxiii, 6. — <sup>7</sup> Ibid.



posui, « Præparatur voluntas a Domino <sup>1</sup>: » de quo dictum est, « A Domino gressus hominis dirigentur, et viam » ejus volet <sup>2</sup>: » de quo dictum est, « Deus est qui operatur » in vobis et velle <sup>3</sup>. » Certum est nos facere, cum facimus: sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, « Faciam ut in justificationibus meis » ambuletis, et judicia mea observetis et faciatis <sup>4</sup>. » Cum dicit, « Faciam ut faciatis, » quid aliud dicit, « Nisi auferam a vobis cor lapideum, » unde non faciebatis; « Et » dabo vobis cor carneum <sup>5</sup>, » unde faciatis? Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non faciebatis; et dabo cor obediens, unde faciatis? Ille facit ut faciamus, cui dicit homo, « Pone, Domine, custodiam ori meo <sup>6</sup>. » Hoc est enim dicere, Fac ut ponam custodiam ori meo: quod beneficium Dei jam fuerat consecutus, qui dixit, « Posui ori meo custodiam <sup>7</sup>. »

XXXIII. Qui ergo vult facere Dei mandatum et non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam et invalidam: poterit autem, cum magnam habuerit et robustam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt, magna utique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt: de qua charitate ipse Dominus ait, « Majorem hac charitatem nemo habet, quam » ut animam suam ponat pro amicis suis <sup>8</sup>. » Unde et Apostolus dicit, « Qui enim diligit proximum, legem implevit: nam non adulterabis, non homicidium facies, non » furaberis, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur, Diliges proximum » tuum tanquam te ipsum <sup>9</sup>. Dilectio proximi malum non » operatur: plenitudo ergo legis, dilectio <sup>10</sup>. » Ipsam chari-

<sup>1</sup> Prov. viii, juxta lxx. — <sup>2</sup> Psal. xxxvi, 23. — <sup>3</sup> Philip. ii, 13. — <sup>4</sup> Ezech. xxxvi, 27. — <sup>5</sup> Id. xi, 19, et xxxvi, 26. — <sup>6</sup> Psal. cxl, 3. — <sup>7</sup> Id. xxxviii, 2. — <sup>8</sup> Joan. xv, 13. — <sup>9</sup> Rom. xiii, 8, et seq. et Levit. xix, 18. — <sup>10</sup> Joan. xv, 13.

tatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. « Timor enim non est in » charitate <sup>1</sup>, » sicut ait Joannes evangelista in Epistola sua; « Sed perfecta charitas foras mittit timorem <sup>2</sup>. » Et tamen quamvis parva et imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino, « Animam meam pro te ponam <sup>3</sup>: » putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare coeperat charitatem, nisi ille qui præparat voluntatem, et cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: « Certus sum, quoniam qui operatur in » vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu <sup>4</sup>. » Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, et sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo ut velimus, dictum est, « Deus est enim » qui operatur in vobis et velle <sup>5</sup>. » De cooperante autem cum jam volumus et volendo facimus: « Scimus, inquit, » quoniam diligentibus Deum omnia cooperatur in bonum <sup>6</sup>. » Quid est omnia, nisi et ipsas terribiles sævasque passiones? Sarcina quippe illa Christi, quæ infirmitati gravis est, levis efficitur charitati. Talibus enim Dominus dixit esse suam sarcinam levem, qualis Petrus fuit quando passus est pro Christo, non qualis fuit quando negavit Christum <sup>7</sup>.

XXXIV. Istam charitatem, id est, divino amore ardentissimam voluntatem commendans Apostolus, dicit, « Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an » angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an peri-

<sup>1</sup> Matth. xxvi, 69, et seqq. — <sup>2</sup> I Joan. iv, 18. — <sup>3</sup> Joan. xiii, 37. — <sup>4</sup> Philip. i, 6. — <sup>5</sup> Id. ii, 13. — <sup>6</sup> Rom. viii, 28. — <sup>7</sup> Matth. xi, 13.



» culum, an gladius? Sicut Scriptum est, Quoniam prop-  
 » ter te mortificamur tota die, deputati sumus velut oves  
 » occisionis <sup>1</sup>. Sed in his omnibus supervincimus per eum  
 » qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, ne-  
 » que vita, neque angeli, neque principatus, neque præ-  
 » sentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum,  
 » neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei,  
 » quæ est in Christo Jesu Domino nostro <sup>2</sup> » Et alio loco  
 » dicit : « Adhuc supereminentiorem viam vobis demon-  
 » stro. Si linguis hominum loquar et Angelorum, charita-  
 » tem autem non habeam, factus sum ærumentum sonans,  
 » aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et  
 » si sciero omnia sacramenta, et si habuero omnem fidem,  
 » ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam,  
 » nihil sum. Et si distribuerò omnia mea pauperibus, et si  
 » tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem  
 » non habeam, nihil mihi prodest. Charitas magnanima  
 » est, benigna est; charitas non æmulatur, non agit per-  
 » peram, non inflatur, non dehonatur, non quærit quæ  
 » sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet  
 » super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia tole-  
 » rat, omnia credit, omnia sperat, omnia suffert; charitas  
 » nunquam cadit <sup>3</sup>. » Et paulo post : « Manet, inquit, fides,  
 » spes charitas, tria hæc; major autem horum charitas: sec-  
 » tamini charitatem <sup>4</sup>. » Item dicit ad Galatas : « Vos enim  
 » in libertatem vocati estis, fratres, tantum ne libertatem  
 » in occasionem carnis detis, sed per charitatem servite  
 » invicem. Omnis enim lex in uno sermone impletur, in eo  
 » quod diliges proximum tuum tanquam te ipsum <sup>5</sup>. » Hoc  
 » est quod ad Romanos ait, « Qui diligit alterum, legem

<sup>1</sup> Rom. viii, 35, et seqq. et Psal. xliiii, 22. — <sup>2</sup> 1 Cor. xii, 31, et  
 xiii, 1, et seqq. — <sup>3</sup> Ibid. 13, et xiv, 1. — <sup>4</sup> Galat. v, 13. — <sup>5</sup> Levit.  
 xix, 18.

implevit <sup>1</sup>. » Item dicit ad Colossenses : « Super omnia  
 » autem hæc charitatem, quæ est vinculum perfectionis <sup>2</sup>. »  
 » Et ad Timotheum : « Finis, inquit, præcepti est chari-  
 » tas : » et adjungens qualis charitas, « De corde, inquit,  
 » puro, et conscientia bona, et fide non ficta <sup>3</sup>. » Ad Co-  
 » rinthios autem cum dicit, « Omnia vestra cum charitate  
 » fiant <sup>4</sup> : » satis ostendit, etiam ipsas correptiones, quas  
 » asperas et amaras sentiunt qui corripuntur, cum chari-  
 » tate esse faciendas. Unde alibi cum dixisset, « Corripite  
 » inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos :  
 » patientes estote ad omnes : » mox adjunxit, « Videte ne  
 » quis malum pro malo alicui reddat <sup>5</sup>. » Ergo et quando  
 » corripuntur inquieti, non malum pro malo, sed potius  
 » bonum redditur. Hæc autem omnia quæ nisi charitas  
 » operatur ?

XXXV. Et apostolus Petrus : « Ante omnia, inquit,  
 » mutuam inter vos charitatem perpetuam habentes, quia  
 » charitas cooperit multitudinem peccatorum <sup>6</sup>. » Dicit  
 » etiam apostolus Jacobus : « Si tamen legem perficitis re-  
 » galem, secundum Scripturas : Diliges proximum tuum  
 » tanquam te ipsum, bene facitis <sup>7</sup>. » Item Joannes aposto-  
 » lus : « Qui diligit, inquit, fratrem suum, in lumine ma-  
 » net <sup>8</sup>. » Et alio loco : « Qui non est justus, non est ex Deo,  
 » et qui non diligit fratrem suum : quia hæc est annuntia-  
 » tio quam audivimus ab initio, ut diligamus invicem <sup>9</sup>. »  
 » Itemque alibi : « Hoc est, inquit, mandatum illius ut cre-  
 » damus nomini Filii ejus Jesu Christi, et diligamus invi-  
 » cem <sup>10</sup>. » Et iterum : « Hoc, inquit, mandatum habemus  
 » ab ipso, ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum <sup>11</sup>. »

<sup>1</sup> Rom. xiii, 8. — <sup>2</sup> Coloss. iii, 14. — <sup>3</sup> 3 Tim. i, 5. — <sup>4</sup> 1 Cor. xvi,  
 14. — <sup>5</sup> 1 Thess. v, 14. — <sup>6</sup> 2 Petr. iv, 8. — <sup>7</sup> Jacob. ii, 8, et Levit.  
 xix, 18. — <sup>8</sup> 1 Joan. ii, 10. — <sup>9</sup> Id. iii, 10. — <sup>10</sup> Ibid. 23. — <sup>11</sup> Id.  
 iv, 21.